



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133



Hic iam acceptis promissionibus regni eterni, confirmatur etiam regnum illud terrenum subiectis Philistin, Moabit, Idumæis, Amonitis, & Syris usq; ad Euphratē. Hactenus Iudæi uexati erant multis malis propter terras à deo promissas, ut impijs posset uideri illusio dei potius fuisse quàm promissio, forti fide hic opus erat, ut in omnibus dei promissis, dum interim apparent omnia diuersa. Hic per Dauidem regē consequuntur omnia, & sub Salomone possidēt quæ promissa erant Num. 34. ut ueritas uerbi dei quandoq; uideretur. Postea rursus illa perdunt, ut declaret dominus suas promissiones ad illos solum pertinere qui credunt. Hæc significāt clare dilatationem regni Christi in gētes, qui suo Euāgelio incepit regnare in Iudæa, & dilatauit pomeria regni sui usque ad extremam terræ, Lucæ ult. Act. 1. Psal. 18. & 71. Huc pertinet psalmus. 59. cuius titulus apud Hebræos ex hac historia desumptus est.

Queris, cur expugnati sint Idumæi, Moabitæ, Amonitæ, cum tamē hoc uetuerit dominus, Deut. 2. Respondeo. Fratres dominus seruari uoluit, non hostes, & iudicio dei Amonitæ etiam nunc hostes fiunt ut pereant, qui hactenus forte pereundi occasionem à tempore Iudicium non dederant, ut infra uides. c. x. Et mensus & c.] Vtcūq; legeris Hebraica phrasis

significat, uix tertiam partem Moabitarum superstitem mansisse, quæ seruiret Dauidi sub tributo. Sic legas licet, Et percussit quoque Moabitas, ita ut duas partes occideret, & unam partem uitæ seruaret &c.

Syria Damasci est Decapolis, ubi Damascus metropolis est. Soba est Syria decapoli uicina. Quin & Iudæa ipsa scdm topographos ad Syriam pertinet. Hinc præses Syriæ Cyrinus dicitur, Luca. 2. Syriam uero remotiorem quæ tendit ad Assyrios, ut Mesopotamiam, Hebræi uocant Aram Naharaim, id est Syriam Mesopotamiam.

Euphraten] secundum promissionem, A flumine magno Euphrate usq; ad mare occidentale, erunt termini uestri. Ista ergo Dauid iure sibi diuino deberi agnouit. In Heb. Claudos fecit omnes currus, id est inutilis fecit, & nulli usui aptos, ne possent ultra progredi in bellum.

Dereliquit] Id est seruauit sibi.

Seruauit] Heb. Adiuuit, ut uideas hoc regnum & istas uictorias esse dei, sed adhuc in militia ne securi simus. Nam postea uidebimus Dauidis & peccatum & crucem.

De quo fecit] Ista non hic dicuntur in Heb. sed adiecta sunt in Latinis codicibus ex .i. Paralip. 18. In figuram ecclesie Christi, diuitie gentium, ligna, artifices, operarij, illud templum ædificant, ut infra

uidebis, hoc est quod & hic infra dicitur Dauid omnia sanctificasse domino, nempe ad futurū tēplum.

Thou.] Iste congaudet Dauidi, figura illorum quē sponte subiiciuntur Christo, & gaudent de uictoria Euangelij, dum interim dominatur in medio inimicorum. Emath autem ciuitas fuit in Syria Damasci, non est autem Emathia quæ Macedonia est.

Casis, scilicet in illo loco, Idumæis] Hactenus mēdax, iam primū apparet uerbū dei uerax esse, Maior seruiet minori, nunc Esau seruit Iacobo. &c.

Et regnauit] Cura esse negocia regni, non in prophanis solum, sed etiam in sacris, significatur.

Crethi & Plethi] intelligunt sagittarios & balistarios, mihi hoc incertum est.

Sacerdotes] id est primarij ad latus regis, ut uides I. Paralip. 18. Ex Iuda enim sacerdotes esse non potuerunt. &c.

CAPVT IX

Istud caput interseritur Dauidis uictorijs, ut uideas ueritatem eius toties Ionathæ & promissā & iuratā, scilicet quod bene facturus esset domū Ionathæ &c. Sicut enim Saul toties scribitur promissæ fidei & iuratæ uiolator, ita seruator Dauid scribitur. Vbi enim fides in deū pijs, nō mirū si illic nihil fidei proximo præstetur. Ex illa